Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Oracvla Magica Zoroastris

Opsopäus, Johannes

Parisiis, M.D.XCIX.

Candido lectori

urn:nbn:de:bsz:31-248481

Visual Library

# MAGICA ZOROASTRI ORACVLA, PLETHONIS *commentarijs enarrata.*

## IACOBO MARTHANO Pictauiensi interprete.

*Candido lectori S.*

Libellum Zoroastri, Plethonisq; in eum commentarium, scriptoris Theodori Gazæ æuo clarissimi, cuius mentionem quoque faciat Theodorus lib. περὶ τῶν μίλων, quum vertissem, Conradique adeo Neobarij viri elegantium litterarum peritia visenda præditi, meique item longe cupientissimi precibus extentis adductus edidissem: obnixe te rogandum candide lector existimaui, vt hoc meum interpretamentum eo candore appenderes, quo mihi cusum est & editum. Nam adeo non hinc vllam laudem aucupor, vt belle mecum decisum iri credam, si non omnino supprimendum circumducendumve hoc fuisse videbitur. Vale.

*Perquire*

*Perquire animæ ductum, vnde, quove ordine,*
*Nauata corpori opera, ad ordinem vnde manasti,*
*Rursus erigaris, opere verbis sacrosanctis adiuncto.*
*Ne deorsum nuas, præcipitium in terra substernitur,*
*E loco trahēs septem meatibus prædito, infra quem grauis*
*Necessitatis solium est.*
*Tuum vas feræ terræ habitabunt.*
*Ne fatum auxeris:*
*Neque enim a paterno principio imperfectum quicquam*
*At vero non admittit eius vota mens paterna, (versatur.*
*Quoad dum exierit obliuionem, atque verbū promptserit,*
*Memoriæ infigens sacram patris tesseram. (splendores,*
*Adspirandum tibi properādumque est ad lumen & patris*
*Vnde immissa tibi est anima, plurima mente circumsepta,*
*Hos autem terra deplorat adusque posteros,*
*Expulsores animæ, ac per quos respirare sit integrum, solu-*
*Læuo in latere cubilis, virtutis fons, (tu sunt faciles.*
*Intus totus manet, virginitatem minime proijciens.*
*Anima hominum, Deum quadam tenus in sese cogit,*
*Mortale nihil complexa: tota diuinitus inebriata est.*
*In harmonia gloriatur, sub qua corpus vitale sit.*
*Quoniam anima, cum sit ignis patris lucidus,*
*Et immortalis permanet, & est vitæ domina.*
*Eadem mundanorū quoq; sinuū multos numeros possidet.*
*Quære paradison:*
*Ne spurces spiritum, remve planam adaugeas.*
*Est & idolo locus in regione splendida.*
*Sed nec materiale corpus præcipitio deferes,*
*Ne exegeris, vti nequid, cū exierit, incōmodi perpetiatur.*
*Si mētem ignitam erexeris, fluxū alioqui corpus seruabis,*
*E finibus terræ prosiliunt, minus verum*

*Signum ostentantes mortali homini, canes.*
*Natura suaserit dæmonas esse integros,*
*Ac vitiosæ adeo materiæ germina frugi atque probæ.*
*Pœnæ mortalium vinctrices.*
*Primas in te vendicet, immortalis animæ altitudo: oculosque pariter*
*Omneis sursum versum erige*
*O naturæ homo præsidentis artificium.*
*Quod si mihi sæpiuscule dixeris, omnino dictum cernes.*
*Nam neque cælestis eademque curua moles visitur.*
*Stellæ nusquam collucent: lunæ lumen conditum est:*
*Terra non extitit.*
*Ne naturæ imaginem nuncupaueris, exemplar visile.*
*Vndiquaque nesciæ doli animæ habenis ignis extentis*
*Cum spectaris citra formam vllam sacrosanctum ignem*
*Lucentem, hucque & illuc subsilientem ad vniuersi orbis (altitudinem,*
*Audi ignis vocem.*
*Symbola mens paterna animabus inseuit.*
*Certo scito intelligibile extra mentem esse.*
*Est intelligibile quod oporteat mentis flore perceptum.*
*Omnia ab vno igne profecta sunt:*
*Quippe cum omnia pater absoluerit, mentique tradiderit*
*Secundæ, quem Primum appellitent nationes hominum.*
*Quæ a patre mẽtes cõcipiuntur, eædem & ipsæ concipiũt,*
*Consilijs mutis illicientes ad concipiendum.*
*Rectores intellectualeis simul & inflexiles mũdus obtinet.*
*Ipsum sese pater rapuit,*
*Ac ne in mente quidem intelligentiæ compote, quæ ipsum insequatur, ignem suum inclusit.*
*Pater non metum, sed suasionem admouet,*

COMMEN-